



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Commentarivs Martini Lvtheri in Ionam Prophetam**

**Luther, Martin**

**Haganoæ, [15]26**

**VD16 B 3890**

Et Dominus dixit pisci, & expuit Ionam in aridam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35968**

COMMENTARIUS

Votū quid in  
Scrip. quicquam de his legitur, sed nec ipse inter alias cogi-  
tationes, quas in pisce habuit, hoc uspiam indicat,  
sed solam precationem suam, per uota uult intelligi.  
Quamobrem scriptura assuescendum est, ut, ubi in  
genere sancti de uotis nuncupandis & reddēdis men-  
tionem fecerint, nec quicquam nominatim expresse-  
rint, intelligatur commune illud populi Dei uotum.  
Ibi uero cōceptis quodammodo uerbis, uouemus nos  
non habituros esse alium Deum præter ipsum solum.  
Inde eiusmodi uotum reddere, nihil aliud uult aut indi-  
cat, quàm confiteri, laudare & prædicare nomē Dei  
uiui, atq; ita Deum ex puro corde & fide sincera co-  
lere. Quemadmodum canit Psalmus. 49. Imola Deo  
sacrificia laudis, & redde altissimo uota tua. Et item  
alibi, Vota mea reddā Domino, coram omni populo  
suo. Ad hunc modum & Ionas prædicat se Deo red-  
diturū uota sua, hoc est Dominū laudaturū, ut Deū  
suū unice, propterea quod illi benigne succurrerit.

Et Dominus dixit pisci, & expuit  
Ionam in aridam.

Hæc ad ueram scripturæ rationem dicta sunt, quæ  
Deus per Verbum suum omnia agere & facere dicitur,  
ut Ioh. 1. Omnia per Verbum facta sunt, & sine  
ipso factum est nihil. Et Psal. 35. Ipse dixit & facta  
sunt,

IN IONAM

sunt, ipse mandauit & creata sunt. Ita natura piscis Ionam hic non potuit nec debuit cōcoquere, sed à naturali digestionē illi conquescenti fuit, & cibus redendus erat & illæsus in aridā expuendus. Ita ut per omnia prorsus inusitata Dei prodigia & mirabilia in Iona seruato sint edita. Et hic omnia inuersa uideamus, nam quæ prius præsentem mortē intentabant, ea omnia certatim nunc uitæ seruiunt. Hic piscis qui prius mortis erat instrumentum, nunc uitæ organum esse iubetur. Et Ionas per hunc ipsum ad uitam incolumis reducitur, per quem paulo ante captus & absorptus ad mortem rapiebatur. Ipsum mare quoque locum euadendi præstare cogitur, & hospiti liberam & innoxiam abeundi facultatē concedere. Hic montium extrema ruptis retinaculis, non amplius captiuum retinent, sed nec alga submersum ultra contemnit &c. Hæc inquam omnia, tantum in hoc scripta sunt, ut consolationem inde caperemus, utque disceremus Deo ex animo fidere, apud quem paruo in discrimine mors & uita ponitur, & utrunque adeo illi promptum est largiri aut adimere, ac si in rebus humanis luderet, quoties alterum dat, alterum uero adimit, aut alterna uicissitudine nunc hoc, nunc illud præstat. Nobis uero hæc magna sunt, & auditu mirabilia, quibus potentiam & uirtutem suam no-

Fidei exēplū.

bis certo testatam exhibet, uelut Psal. 104. ipse de se prædicat.

CAPVT III

Et factus est sermo Domini ad Ionam secūdo dicens, Surge & uade in Niniuē ciuitatem magnam.

*n.* Hæc propterea scripta, ut intelligamus, quàm sine iussu diuino, nihil statuendum aut inchoandum sit. **Contra humana placita.** Primum quippe mandatum per Ionæ inobedientiam irritum factum erat. Quare nisi denuo profectio in Niniuē Deus Ionæ demandasset, dubius animi fuisset, quid faciendum fuerat. Imò potius ita illi successisset ultro suscepta prædicandi prouincia, quemadmodum ludæis, qui cum Numeri. 14. ductu & auspicio Dei, iussi in pugnam prodire recusarent, tandem ultro instructa acie, et laceffitibus hostibus, in apertum campum ad pugnandum progressi, insigni strage affecti sunt. Usque adeo uanum est & irritum, quicquid humana mens Liberi Arbitrij ductu, non consulto aut accepto Dei mandato, decernit aut statuit. Præterea huic mandato, & hoc adijcitur, ne quid aliud præ-